



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Meditationes Rerum Divinarum In Psalmos
Quindecim**

Hillesheim, Ludwig

Coloniae, 1572

VD16 H 3683

31 Beati quorum remissionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60352](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60352)

IN PSALM. XXII. 95

demum per tuam intimam bonitatem et
misericordiam, supremo iudicij tui die
statutus ad dexteram, in caelestem tuam
adsciscar domum, ad sempiternam vitam
cui destinatus sum, per Iesum Christum. Ad Rom. 6.

Meditationis in Psalmum
XXII. finis.

ARGUMENTVM
psalmi XXXI.

Verfa ad DEVM per agnoscentiam
delicti eiusque confessionem mente, pec-
catum remittitur diuinitus & aboletur.
Hoc iusti semper orant, eoque tribuun-
tur ipsis bona, vt spiritu confirmati diui-
no, Deo se regendos tradant. Ac cum
peccatores meritas delictorum suorum
sustineant poenas, ipsi Dei misericordia
vndiquaque recti sunt, & latari in perpe-
tuum possunt.

MEDITATIO IN PSALMVM
xxi iuxta Hebraeos xxxij.

Omni-

Omnipotens voluntas tua, & qua
 niuersa consistunt Deus, tum cœ-
 lum & aetheri in illo spiritus crearen-
 tur, & terrarum fundamenta iacere-
 tur, & omnia verbo tuo aeterno fieren-
 tur, ut ordine sapientiae tuae cuncta ordi-
 rentur & dirigerentur. Quanquã autem
 felicitatem & potentiam ostenderent tu-
 am, omnia immensa bonitate condita, sta-
 men in eos propter quos ea præcipue fa-
 cta sunt omnis explicata est consilij tui
 dignitatisq; immensitas. Angelorum
 hominum ea conditionis dignitas fuit,
 ut, quoad fas esset, ad te Deum, tuamq;
 similitudinem proximè accederent, & di-
 uinae tuae felicitatis in perpetuum partici-
 pes essent. Sed hunc ordinem diuinum cum
 abs te summo bono, omnia benè constitu-
 ta essent, angelorum & hominum deli-
 ctum, consilio voluntatis suae euertit: mu-
 tis angelorum agminibus è cœlo ad infer-
 na deiectis, homine è paradiso in terra
 erumnas misso, & morte corporis mul-

Etato

Etato. Itaque vtrisque à peccato ad infe-
 ros transitus est factus, iustitia tua mer-
 cedem suam, cuique pro factis dignam
 tribuente. Sed malorum spirituum, quum
 mentis oculos abs te ad excellentiam ne-
 fariè & superbè reflexissent suam, in expi-
 abile peccatum fuit, vt ex illo horrèdo in-
 ferorum ac pœnarum domicilio eis regres-
 sus non esset. Homo, inferiore paulo ab an-
 gelis statu, obrutus culpa sua, tua miseri-
 cordia est subleuatus, & salus perditò, et vi-
 ta mortuo data. Hoc pactū aeterna reconci-
 liationis & sanguine ac morte IESV
 CHRISTI filij tui, confirmatum cum
 homine fœdus fuit, vt is perceptis in cor-
 pore per arumnas & mortem peccati sui
 pœnis, tandem angelis beatitudine par, et
 aeternorum quibus exciderat bonorum
 particeps efficeretur. Sed altum consilium
 tuum Deus, tuaq; iustitia illum dum in
 terris esset, in diuina tua vindicta consti-
 tuit metu, si pronæ ad malum voluntati
 se deinceps permitteret suæ, declinaretq;
 E à man-

à mandato tuo, arbitrio suo & deficeret
 Verùm eius summi interitus ac mali vitia
 di, seq̄, ab illa impia malorum spirituum
 societate auertendi potestas facta, & con-
 cessa facultas salutis suæ est omnibus, qui
 in peccati corpore, dominatūq̄, iniquita-
 tis suæ voluntatis arbitrium & actionum
 quæ ab ipsis iuste susciperentur finem ad
 1. Cor. 15. solū, tuamq̄ gratiam referrent. Ha-
 etenim vna in herentē in natura omni
 mana labem restinguit & abolet. In hac
 firmamentum beatitudinis est nostræ, per
 quam corruptibilitas nostra incorruptio-
 nem induet, expiato omni per tuam mis-
 ricordiam & ignoscentiam delicto. Glo-
 ria hæc est omnibus sanctis tuis, tua propi-
 tiatio, vnde illi diuinis legibus viuentes, vi-
 ta æterna fructus abs te Deus reportant.
 Itaq̄, demones nulla continentur spe, nec
 qui eos sequuntur vlla præsidia habent in-
 quitatis suæ, exagitantibus sceleribus suis
 eos ac diuina prosequente vindicta. Quæ
 obrem deserta illa scelerum societate, fun-
 damentū

damentum illud ponamus, quod aeternum
 est, nec adueniente calamitate ac morte
 conuelli vnquam potest. Non hoc vlla ter-
 rena res praestant, infirma ijs omnia ad sa-
 lutem sunt, qui in his stabilimentum fœ-
 icitatis sua ponunt. Quid enim proderit
 homini totum mundum lucrari, si anima *Luc 9.*
 sua iacturam faciat? vt nec ei, qui ani- *Marc. 8.*
 ma in diuitijs blandiens sua eam ad de-
 licias & voluptatem inuitat, quem vox *Luc. 12.*
 iustitia Dei percellit. O demens, hac no-
 te reposcetur à te anima tua. Quid terre
 na omnia praclara, & splendore, quasi in
 cœlum se efferentia sua? ad interitus vi-
 am omnia abeunt, & nullum momentum
 ad beatam vitam adferunt. Ne ergo à
 terris, sed è cœlo non ab humanis, sed cœ-
 lestibus consilijs ac decretis salutis viam
 queramus. li enim

B a Beati

Beati quorum remissæ sunt
iniquitates, & quorum te-
sta sunt peccata. Beatus vi-
cui non imputabit dominus
peccatum, nec est in spiritu
eius dolus.

Ocaput fontemq; bonorum, & inex-
hausta opulentia thesaurum, que
qui assequuntur, illorum salua ac beati-
res sunt, nec labefactari vlla, aut incom-
modorum aut mortis iniuria possunt. Et
hoc gratia in perpetuum exuberante fon-
te, omnes homines qui sitiunt iustitiam
exatiari ad eternam vitam queunt. Om-
nia alia infœlicia desideria, omnes appeti-
tiones noxia & remota ab vera salute
sunt. Ingens labor est vita, ingens omni-
delictum, omnes peccauerunt, & egent gra-
tia Dei, vt nisi ignoscente, & non imputa-
te Deo, miseri in perpetuum sint & infœ-
lices. At tu Deus vniuersis gentibus terra-
rum exhibuisti bona, iustificatis per mi-
sericordiam.

Ad Rom. 3. *ria Dei, vt nisi ignoscente, & non imputa-
te Deo, miseri in perpetuum sint & infœ-
lices. At tu Deus vniuersis gentibus terra-
rum exhibuisti bona, iustificatis per mi-
sericordiam.*

misericordiam iniustis, vt remissis iniquita-
 tibus, tecto peccato, nec vlllo imputato de-
 licto, magno iudicij tui die, quum tenebra-
 rum occulta proferentur in lucem, & ani-
 morum consilia patefient, salui ab ira, & ^{1. Cor. 4.}
 liberi ab damnationis poena sint. Hoc illis
 eueniet, quorum deprauationi nunquam
 in vita consentiens animus fuit, semper
 spiritus agnoscens & confitens culpam,
 Dei donum & gratiam est amplexus, nec
 vllam mercedem fidei & virtutis suae, qua
 in Deo constituit. Veniunt in Dei conspe-
 ctum omnia crimina nostra, nulla vt eum
 latere iniquitas possit, quam si dissimula-
 re conemur, vera excidemus salute, ipsi-
 usque gratia, ineuitabili iustitia eius me-
 ritas exigente poenas. Ergo ego in meo gra-
 ui & iustitiam tuam reformidante sen-
 su, ad te Deus, ad misericordiam impetra-
 dam tuam, mentis & cordis affectionem
 referam, te finem & premium mihi pro-
 ponam, beatissimam & immortalem vi-
 tam agnoscentia & poenitentia mei de-

licti, spe clemētia tua amplexus. Ita enim
firma mihi expectatio salutis erit, vt a pe-
cati vinculo soluar, & tua gratia conser-
tuar. si directo ad te Deum meum corde
credam ad iustitiam, & ore confitebor
salutem meam.

Rom. 10.

Dum inge-

miscerens

Dum rugi-

rem.

Dum voce

infreno.

Hebr. trās.

Conuersus

est humor

meus in

siccitates

æstatis.

Dum con-

figitur mi-

hi spina.

Quoniam tacui inueteraue-
rūt ossa mea, dum clamarem
tota die.

Quoniam nocte ac die gra-
uata est super me manus tua,
cōuersus sum in ærumna doli
configitur spina.

Cum enim tacitus, iniquitatis mea ma-
lum sufferrem, magnis perturbatio-
num fluctibus agitata fuit vita mea, vt in-
res omnes mea contererentur, ac magni-
in angustijs & metu arctarer: cum & cō-
scientia mea vulnera, & graua omnia sa-
lutis detrimenta sentirem. Ita iudicio re-
cto tuo, mente & corpore percussus sum,
quum turpi & indigno me pudore pecca-
tum

tum meum dissimularem intus, ac ceu occultatus delictorum meorum tenebris, tum fugi conspectum. Ac sanè tempus illud tam luctuosum mihi fuit, vt grauem ac assiduum clamorem & eiulatum meus mihi mœror exprimeret, nocte ac die tua ceu manu ad affligendum me imminente, & semper manifestò apparète ira tua, qua ceu atroci flamma, omni vitali corporis mei succo confecto, certus mihi interitus adesset. O magnam manum tuam, à cuius grauitate quis subsistet? Hæc occidit & viuere facit, percutit & sanat, de qua nemo est qui eruere possit. O duras ergo & acerbis cogitationes meas, cum ceu in medium peccatorum profundum precipitatus, & aquis malorum lethaler circumfluens, ira tua fluctibus obruerer & opprimerer: Verùm subter ima terra claustra, procul à tuis oculis fugatus, iterum per tuam gratiam sublata, quam ingens meus mœror depresso-

rat mente,

E 4 Deli-

Delictum meum cognitum
tibi feci, & iniustitiam me-
am non abscondi.

Dixi, confitebor aduersum
me iniustitiam meam Domi-
no, & tu remisisti impietatem
peccati mei.

Fatebor cō-
tra me trās-
gressionem
meam.

G. Impieta-
tem cordis
mei.

Mei pecca-
ti culpā ig-
nouisti.

Amiseram illam imaginem menti-
tua Deus, & abs te patre indulgen-
tissimo defeceram, eoq̄ expulsus sede in-
nocentia errabam sicut ouis quæ perijt, in
gravi exilio, & bonorum cœlestium ege-
state. Tandem verò ascendens ad cor al-
timum, & inspirante te, in me versus di-
xi: Quò mala me mens abstulit ac volun-
tas? longè ab salute & remotè constitu-
tus miser, redactus in angustias ac penè
oppressus sum, adueniente die Domini
eiusq̄ iudicio. Quid faciam in die visi-
tationis & calamitatis de longinquo ve-
nientis? Quò crimen meum transferam?
quam dissimulationem obtendam iniu-
sti-

stitia mea? ei, qui renes scrutatur & cor-
 da, maiestate immensa sua aspiciens om-
 nia & collustrans. At cum tantus sit, nec
 ulla amplius occultandi peccati mei spes
 esse possit, Ibo, ibo, & ad eius quem offen-
 di, & dereliqui conspectum prodiens ul-
 trò ac voluntariè, turpi occultatione re-
 pudata, reum me maiestati eius sistam,
 confessus meum peccatum, & veniam o-
 rans: Pater peccaui in cœlum & coram
 te. Hac ego confessione in humilitate mea
 celsitudini aduolutus tuæ, à peccati vin-
 culo solutus, actus gratiæ restitutus sum.
 Deleuisti iniquitates meas propter te, et
 peccatorum meorum non es recordatus.
 Presserat me manus tua grauis, sed eadem *Esai. 43.*
 me subleuauit, & erexit prostratum. Se-
 di in tenebris, tu lux facta es mea. Edu-
 xisti me in lucem, vidi iustitiam & mi-
 sericordiam tuam, quoniam remisisti im-
 pietatem peccati mei. Nihil in eo meum,
 perditio ex me mea, per te salus parta, per *Mich. 7.*
 te liberatus à delicto atque interitu, &

E s in

Esa. 26.

in virtutis viam directus sum. Gloria haec
est tua, qui omnia operatus es in nobis,
ac pro amore & conseruatrice omnium
misericordia tua seruisti animam meam
ne periret, reiectis post tuum tergum me-
is omnibus peccatis.

Tempesti-
ue precabū-
tur.

Inundatio
aquarū im-
manū ad
eum non p-
tinget.

Esa. 13.

Propterea orabit ad te omnis
sanctus in tēpore oportuno.
Veruntamen in diluuiō aqua-
rum multarum ad eum non ap-
proximabunt.

Hanc enim viam iusti homines sequū-
tur, vt in spiritu suo ac precordijs,
humilient ad terram se, ac miserationū
tuarum semper recordentur. Non illi in
peccatis ac malis implicati, cunctanter
alunt ac protrahunt mōrbum suum. Mox
enim ad te, à quo defecerunt reuersi, su-
am infamiam ac culpam in tuo confiten-
tur & proferunt conspectu, orantes, vt
tui nominis gratia eis condones ea quibus
aduersum te peccauerunt. Itaque pro
miseri-

misericordia tua expiato ac remisso eorū
 delicto, in tuam eos suscipis custodiam ac
 tutelam, vt nunquam eorum desis saluti,
 nulli inundantium malorum fluctus eos
 attingant, presidium aduersus omnia in
 te aeternum habeant. Aquæ inundabunt,
 ac magna tempestatum vis coorta omnia
 inuoluet, veniente magna ira tua die: ve-
 rùm tu, tuos consignatos, quos sanguine
 filij tui comparasti ex omni natione & Apoca. 7.
 sanctificasti, seruas illasos, illustrante eos Apoca. 5.
 in perpetuum vultus tui luce. O inaudi- Psal. 4.
 tam iucunditatem, & aeterni boni spem
 factam diuinitus ijs, qui sanctissimi amo-
 ris ardore tibi coniuncti, & beatissimam
 vitam animo & voluntate complexi, tuo
 presidio & munimēto continentur. Quid
 nō enim malorum et offensionum est in vi-
 ta qua euertere eos possint? sed aduersus
 ea, & ope tua communiti sunt, & paratū
 abs te auxilium semper habent. Ad hanc
 felicitatem qua solida aeternaq; est, vti-
 nam me misericordia adducat tua, vt pe-

riclitanti adiutor semper ad sis, & ab omni tempestate ac turbine securum praesto. Ac praestas sane, non enim felicitatis acquirenda desiderium meum irritum fieri nec hanc succensam in mente mea amoris faciem restringi aut aboleri unquam sines.

Latebra.

H. Desedes
me, caritatis
liberatiois
circumda-
bis me.

Subilis cir-
cumcinges
me.

Esa. 45.

Tu es refugium meum à tribulatione quæ circumdedit me, exultatio mea, erue me à circumdantibus me.

Omnes enim meae salutis & perfugii orationes, in te repositae sunt, te inquit cumcinges, ut in te iustificer, & beatus sim salute aeterna, ne mali flagellum aliquod appropinquare tabernaculo meo possit. Haec magnitudo defensionis est tuae, quam tu toto terrarum orbe summus, aeterna fide & potentia praestitam tuis, inopi mihi à te pendenti tribues, ut in hoc turbulento vitæ mari extra periculum positus, vitam cum

cum leticia transigere, & exultante in te spiritu meo, tibi ad laudem tuam salutare sacrificium facere possim. O me cœlestibus tuis donis beatum, qui ab humanis curis euehar spiritu ad diuina, ac liberationis canticis circumfundar, secunda & semper latante animi mei fiducia, mysterium sanctæ redemptionis, ac tuum æternum celebrans nomen. Ita perpetuam tibi offeram laudem, qui iniquitate ablata mea ac vita defensa, veræ salutis gloria me donaue- ris. Hanc ego semper fouebo spem, & hunc mihi fructum letitiæ ac fœlicitatis nunquam desore, verbo ac promisso innixus tuo confidam. Ac iam videor te his me verbis compellantem, cœlitusquæ assan- tem audire:

Intellectum tibi dabo, & in-
struam te in via hac, qua
gradieris, firmabo super te
oculos meos.

*Erudiam.
G. Et simul
accedã in
via tua.*

E 7 O cœle-

O Cœlestem vocem, qua inuitamus
 ad diuinam legis disciplinam, cogniti
 onemque eam qua instructi & eruditi
 media turba malorum, omnis iustitia ac
 virtutis & beatitudinis possumus esse par
 ticipes. Magnis malis & erroribus expo
 sita est omnis nostra vita, quam nisi De
 i regat doctrina, cuncta eius actiones pra
 ua, & Deo aduersaria sunt. Hac scientia
 cœlitus descripta est, & demissa in men
 tem humanam, vt aditus per eam ad im
 mortalitatem esset. Non hoc mundi sapi
 entia prestat, quæ corruptibilia sectatur,
 ac sæpè indignas de Deo cogitationes ha
 bet, diuina sapientia, in qua beatitudinis
 est caput, ignara. Infatuauit enim Deus
 sapientiam huius mundi, eius stultissima
 legit, vt sapientes confutaret, ne quis mor
 talium gloriatur apud Deum, à quo sapien
 tia est, iustitia et sanctitas & liberatio.
 Quam necessaria ergo illa scientia est, qua
 verè prudetes facit, & qua ad deum acci
 dendum sit via, ostendit.

1. Cor. 1.

Audiam

Audiam igitur verbum æternum tuum Deus, & illam diuinæ legis disciplinam sequar, vt te cognoscam: & intelligā, quid tibi sit gratum, ne à cultu iustitiæ deficiam, sed vt ingredi in vīs tuis, et me immaculatum custodire à seculo possim.

Tu lumen miserationum tuarum mihi ostende, vt te patronum ac defensorem habeam vitæ ac rerum mearum. Firma super me oculos tuos, vt te dirigente accepta tibi opera mea esse possint. Ita enim sedulum ministerium meū, tibi Deo meo semper præstabo. Hoc certè officij vinculo maiestati tuæ deuinctus, opus manuum tuarum sum, factus ad tuam imaginem, vt te menti meæ propositum semper habeam.

Sed deprauatio ingens naturæ, illam voluntatis libertatem, quam in te semper defixam esse par erat, iniquitate sua, quasi ad inferna deiecit, vt eam iustitiæ tuæ & ultionis metu coerceri sit necesse, eo quæ ad omnes homines clamat vox tua,

Nolite

Hebrai.

Quorū ma-
xillas freno
constringe
re oportet,
ne approxi-
ment ad te.

Ne quem
inuadant.

Nolite fieri sicut equus et m-
lus, quibus non est intellectus.
In chamo & freno maxilla-
eorum constringe, qui non
proximant ad te.

Quousque enim, inquis, vanitati
addicetis, vt declinantes à meo
bitrio, ceu bruta vos cupiditatum imp-
rio temerè permittatis? & in omne de-
ctum precipites ruatis? Illæ quidem
tione carentes animantes, ne recalcitren-
ac mordeant, lupatis ac freno coèrcen-
sunt, vos ego ab hac necessitate solutos
ci, vt liberas haberetis voluntates omni-
rerum, me vires dante, ac semper adiun-
te, vt accepta vitio vestro, & defectione
mente labes, ea ad apprehendendam bon-
vim, vires habere ac robur possit. Videt
hunc rerum ordinem verbo factum et co-
stitutum meo, in quem inducti estis, in-
to vobis radio mentis mea, vt vos quoque
ad diuina formetis, et illum legum mearū
ordinem

ordinem inuiolatum seruetis. At vos inui-
 tati benignitate mea, ad vestrum vos ma-
 lum confertis, & à me alienata mente,
 aditum ad vos veræ scientiæ non relinqui-
 tis. An verò vos in illa errorum via iustã
 animaduersionem effugietis? vt à Domi-
 no abscondatis consilium, & opera vestra
 occulta esse existimetis? peruersa est hæc
 vestra cogitatio, quasi si lutum contra fi-
 gulum cogitet, & dicat opus factori suo:
 Nō fecisti me. & figmentum dicat facto-
 ri suo: Nō intelligis. Nolite ergo reluctari
 imperio meo, vt pœna magis quàm benefi-
 cio afficiendi sitis, meam iustitiam, vestrũ
 delictum agnoscite, vt vobis ad misericor-
 diam aditus esse possit. Hoc verbum iusti-
 tiæ tuæ Deus, vtinam omnium gentium
 aures, omnium hominum animos & cor-
 da impleat, vt intelligentia vera & omni
 cognitione pleni sint, nec eos vnquam iu-
 dicium tuum percellat. Omnibus est ad
 gratiæ tuæ solium aditus factus, misericor-
 dia cunctos amplecteris tuæ, collato in eos
 Ad Ro. 12.
 diuini-

Rom. 9. diuinitus beneficio, sublatoque peccato
 tuam opulentam gloriam declarares
 vasa misericordie, qua praparasisti ad glo
 riam. Sed multi repudiant illud cele
 donum, eoque delictis ac malis implic
 suis, insipientibus & iumentis similes
 unt, ac pœnas luunt contumaciæ et impi
 bitatis suæ. Hæc enim merces est infir
 lium & tibi repugnantium, vt idem

Gene. 19. quod SODOMÆ et GOMORRH

Epist. Iud. accidat, et ira vasa sint tuæ, ad interitum

Eesai. 1. apparatus. Quam vera ergo illa spiritus
 tuo prolata vox est?

Multa sunt
 mala impij.
 Beneficen
 tia.

Benignita
 te circumfun
 dentur.

Multa flagella peccatorum
 sperantem autem in Dom
 no, misericordia circumdabit

FACTA est humana natura abs te Dom
 ne, vt tibi esset conformis, ac beatè viu
 ret, non vt extingueretur dolore. Sed ho
 minis delicto, multa sunt in vitam ma
 inuecta: pœna enim auersionis sunt abs te
 eoque circumferimus corpus maximis ma

lis obnoxium in hac vita, à quibus tamen
abolito per tuum Deus beneficium pecca-
to, liberamur, consecuti beatitudinem, in
qua nihil ærumnarum erit. Herent qui-
dem in omnibus ea calamitates, & tristes
ærumnae, sed illustra iustitia tua diuina
signa, dissimilitudine euentum videmus.
Multa sunt flagella peccatoris. Non hoc
ad seueritatem, sed misericordiam tuam
domine pertinet: nec pœna est, sed fauor,
aberrantes corripientis, ac vocantis ad pœ-
nitentiam, vt redire ad mentem & officii-
um possint, qui suis delictis misericordiã
postulant. Sed horror est in impietate sua
perseuerantium hominum, qui spiritui
sancto rebelles sunt. Verùm aliud iudici-
um tuum diuinum aduersum eos est, quo-
rum spes omnis, & ratio & cogitatio pen-
det ex te Domine. Illi quidem laboribus
premuntur in hac vita, & mala perferunt,
vt eorum constantia ac fides aduersarum
rerum & tentationum igni probetur: sed
quoniam in te voluntates suas constitue-
runt

runt, tibi fidentes, aeterna eos misericordia
 amplecteris, vt sollicit ante mundo, ac
 ctis vrgentibus malis, te praesentem ag
 cant, conseruenturq; ab summo interit
 & periculoso tempore liberentur. ¹Supp
 ces illi à terra sursum ad te Deus orant,
 te inuocant, ne eos deseras, nec eorum
 & animam venire ad mortem sinas, qu
 bus intuentibus in humanum auxilium
 nemo succurrit. Itaque illi etiam medio
 igne non ardent, orbiati liberis, vlceribus
 ac tabe pleni & confecti, et quasi ab terra
 viuentium praecisi, iterum vegeti & val
 tes fiunt. In profundum praecipitati, fl
 ctibus & totis tuarum vindarum gurgit
 bus oppressi, perueniente ad tuam sacra
 cellam precatione eorum ab interitu ex
 trahuntur. Viuunt ergo, etiam mortui tu
 Domine, circumdati misericordia tua, v
 post exantlatos vitæ labores, merces eor
 maior, & gloria in caelo illustrior fiat, p
 hac expectatione illi omnia contemnu
 humana, ac leniter ferunt, & semper sala

Ecceles. 51.

Daniel. 3.

Iob.

Esa. 38.

Ion. 3.

tem suam tibi commendant. Tuus vnigenitus filius per acerba omnia sanguinem & crucem morte suscepta, eos ceu corporis sui caput exaltauit vnâ, vt proximas ab eo sedes habeant, orbem terrarum & angelos etiam iudicaturi. Hæc felicitas eorum gloria est tua Deus, ascitis ad diuinitatem ijs, qui cum contaminati & perditati antè fuissent, ad te IESV CHRISTE expandentem in cruce brachia tua, conuersi, misericordia tua circundantur. O gloriam tuorum Deus, destinata ab eterno, ipsorum interruptam peccato, misericordia tua restitutam. Abdicati & ad inferos deiecti demones, homines verò peccato ad infernum adducti, ne illorum anima ei adhabitaret, te adiuuante ad cœlum reuertuntur. Nunquam enim ab genere humano amouisti clementiam tuâ, vicisti eius abs te aberrantis & ruentis casum, beneficio æterni tuo. O præclaram sortem, & optandam hereditatem felicitatis eorum, qui se immaculatos ab hoc seculo

1. Corin. 6.

culo custodiunt, & semper ad obediendum
summo & omnipotenti Deo parati sunt
coronati gloria & honore, circumdati misericordiam
sericordia. Lugeant qui tantum abdicant
& repudiant bonum. At vero

Lætamini in Domino & exultate
ultate iusti, & gloriamini
omnes recti corde.

2. Cor. 1.

1. Cor. 6.

Vos enim electi à Deo per gratiam
eiusque reconciliati per ipsius filij sanguinem
estis, abluti, uncti, consignati, sancti ac iusti facti,
per nomen Domini IESU CHRISTI, perque Dei nostri spiritum, ut ambulantes
in nouitate vitæ, promissam hereditatem regni
cœlestis adeatis. Habitabatis autem antea in imagine
sua Deus, daturus ei sine morte vitam & letitiam
perpetuam, si non ab eo iniquitate sua recessisset.
Securata est calamitas peccatum, ut omnis humana
vita plena rebus asperis esset. Sed nihil ex illis
incommodi, propter iustitiam quam in domino
obtineteis, vobis erit, nec

vlla

Nulla vos exstinguent mala, qui misericor-
 diam consecuti, superiores omnibus eritis
 erumnis, vt Dei potentia & gloria illustri-
 or in vestra infirmitate fiat. Vos sanctum
 Dei templum facti, fructum aeternae felici-
 tatis, & perfecti gaudij possessionem, et
 ad euitandos casus aduersos perfugium *2. Cor. 4.*
 semper habetis. Breues vestra in vita a-
 rumnae erunt, verum eas caelestium bono-
 rum abundantia & perhennis letitia se-
 quetur, quam a vobis nemo auferre possit.
 Quod si hi qui terrena diligunt, super fra- *Ioan. 16.*
 gilibus & caducis rebus letantur, vos qui
 tantam gloriam spei, & aeternitatis habe-
 tis expectationem, cur non cum omni ex-
 ultatione letemini? Veniet enim Deus ex- *Ad Heb. 9.*
 spectantibus vobis ad salutem, qui relictis
 omnibus, eum secuti, in ipsius misericor-
 dia spem posuistis, vita & rerum vestra-
 rum, vt summa cum vestra gloria in eius
 conspectu, letitia omnem sensum exupe-
 rante, in perpetuum viuatis. Viuat et hac
 anima mea Deus, conuersa ad te, & ab
 terra

terra, absque angustijs redempta in tu
 exultet salute, sublata ad domicilium ca
 leste tuum, & aeternorum gaudiorum
 particeps facta. Nunc quidem grauis in
 mo meo insidet mœror, sed plorantem
 coram te, & mente prostratum, excipit
 misericordia tua, reddit a beneficio a
 no tuo letitia salutaris tui, cum iustifica
 tus in veritate tua ero. Hæc videnda
 ria tua, spes mea, irrita nunquam erit
 Tu formasti me, deleuisti propter te
 nubem, iniquitates meas, & quasi nebulas
 peccata mea. Reuertar ac veniam
 te Deus, quoniam redemisti me, & in
 labor, in te, mea salutis Deo semper
 ultans. Tu me diriges, deducesque
 excelsa. Victor in psalmis canentem.

Psal. 50.

Ioan. 17.

Esai. 44.

Esai. 43.

Haba. 3.

Meditationis in Psalmum
 XXXI finis

ARGUMENTVM
 psalmi XLI.

Fidelis